



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Panegyricvs, Die Natali Academiae Theodorianae
Paderbornensis, Reuerendissimo, atq[ue] Illustrissimo
Principi, ac Domino, Theodoro, Episcopo Ecclesiae
Paderbornensis, S. R. I. Principi, Fvndatori Eivs ...**

Horrion, Johann

Paderbornæ, 1616

Capvt I. Prooemium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14243



PANEGYRICVS, NATALI
DIE ACADEMIÆ THEODORIANÆ PA-
DERBORNENSIS, OBLATVS EIVS MVNIFI-
centissimo Fundatori, Reuerendissimo atq;
Illustrissimo Principi,

D. THEODORO
EPISCOPO PADERBORN.
S.R.I. PRINCIPI, DOMINO, AC PRIN-
CIPi CLEMENTISSIMO.

Liber I. Panegyrici.

De Academia in VVestphalia fun-
data.

CAPVT PRIMVM.

Proœmium.

Hicet jam, Reuerendissime
& Illustrissime Princeps, tandē aliquando
huic florentissimæ Iuuentuti erumpere
pressam adhuc animis, clausamque læti-
tiam, & sua erga Cels. V. studia, condito
amplissimo in hac Vrbe optimarum artium domicilio jam-
pridem inflammata, publica gratulatione testari. Quan-
quam enim alterum jam annum hoc maximo, præstantis-
B simoq;

simoque beneficio sanè frequentes utebatur, quoniam
 tamen necdum publice propositis ijs litteris, quibus Pon-
 tificex Maximus, & Cæsar Academia nobis immunitates &
 jura concedunt, necessarius quidam splendor decrat, nos
 quoque gaudia ac vota nostra tantisper in hominum lu-
 cem, atq; oculos proferre verebatur. At hodierno die
 quis jam obscure ferat sensum animi sui, cum ad earum
 litterarum promulgationem ex omnibus prope VVest-
 phaliae partibus concursus in hanc Urbem fiant? cum tot
 mortales in te inhient, tibiq; gratias agere gestiunt, à quo
 liberis suis potiores omni auita paternaq; hereditate esse
 paratas opes intelligunt? cum omnia DE I immortalis al-
 taria, atq; templa, perpetuam se jam tibi doctorum, præ-
 stantiumque virorum facultatem & copiam debitura fa-
 teantur? cum deniq; ipsa adeò oppida atque vici videan-
 tur, si fieri posset, eijcere se sedibus suis, atque ad hoc no-
 uum patriæ decus, hanc arcem disciplinarum, hoc muni-
 mentum auitæ religionis, seminariumque reip. coram in-
 tuendum velle peruolare? In hac communi latitia, atque
 plausu nemo non intelligit, quantum flagitij simus admis-
 suri, si ad quos hæc præcipuè tua merita pertinent, non o-
 mnibus, quibus licuerit, gratulationis officiis perfunga-
 mur. Quamquam hic omnium ardor, atque concursus
 non modicam ipse per sese nobis præbet gratulandi mate-
 riam. Est enim primus benefaciendi fructus, non indi-
 gno benefecisse: proximus non ingrato. Quos quidem
 immortalis tui beneficij fructus, iam tunc, Princeps Illu-
 strissime, te ferre sentimus, & gratulamur ex animo, quan-
 do quidem animaduertis, te, hæc prima VVestphaliae Aca-
 demia molienda non in gentem aliquam inertem, atque
 à Musis abhorrentem, aut magnitudini beneficij æstimandæ
 imparem, sumptum, atq; jacturam fecisse. Hæc enim
 hodierna

Hodierna alacritas, & fausta preces omnium ordinum, perinde atque in communi quadam, & eximia fortunę prosperitate gratulantium, satis ostendunt & quanto vulgò sapientię amore teneantur, & hoc tuum beneficium, quanti omnes faciendum putent. Sed caue existimes, Princeps Illustrissime, repentinum hunc esse quendam animi impetum jam primum tantę rei nouitate commotum. Est enim quadam indoles virtutis & sapientię, præclaris maiorum institutis, exemplisque corroborata, quę animos ad bonarum artium cupiditatem sponte sua assiduò rapit, quarum se tantam modò facultatem tuo beneficio nactos esse gloriantur. Repetenti siquidem mihi memoriam, præteriti temporis, atque animo recolenti, quę adhuc fuerit in VVestphalia magnitudo ingeniorum, quis ardor discendi, quę laborum patientia, subit in mentem mirari, quo tandem fato acciderit, vt amantissima laudabilium, doctrinarum natio tam diu integrum, atque perpetuum, earum emporium desiderarit. Qua de re existimaui nihil me alienum ab huius diei splendore, & lætitię esse facturum, si pauca apud Celsitud. V. verba facerem: idque vt mihi bona tua venia liceat etiam, atque etiam rogo. Cognosces enim ex ijs quę dicam, si omnes, qui jam inde ex eo tempore, cum primum VVestphalia veritatis Christianę lumē aspexit, has oras tenuerunt, modò à mortuis existerent, nihil ijs, qui nunc adsunt, de studio erga te, atque officio, nihil prædicando beneficio tuo, nihil agendis gratijs esse concessuros. Erit deinde cur præcipuam tibi quandam felicitatem gratulemur, qui DEI singulari munere id absolueris, atque perfeceris, quod antea tot viri graues, ac sapientes vel tacitis votis optarunt, vel aliqua duntaxat parte tentauerunt. Discet denique nostra iuuentus quouique jam progredi in bonarum artium studijs oporteat, tam certis, &

tis, & expeditis abs te discendi praesidijs comparatis, sine quibus nostri maiores tanta sunt in ijs ingenij, & laborum contentione versati.

CAPVT II.

Quanti VVestphaliae ingenia fecerit D. Carolus Magnus.

SVnt enim ita ferè comparati praestantes animi: citò arripiunt, quaecunq; ad veram laudem, decusq; pertinent, sibi que turpe ducunt semel conspectam in pura luce veritatem mediocri ardore complecti. Neq; eò contenti, simul cum veritate, omnia persequuntur, atq; appetunt praesidia & adiumenta veritatis. Vix Christiana veritas VVestphalis illuxerat, cum ita non eius modò, sed etiam liberalium artium quarum illa comitatu plurimum gaudet, & opera vititur, amore sunt capti, vt breui Carolum Magnum non magis bellicae virtutis, quam politae, pacataeque doctrinae peritum, & acrem aestimatorem, in eam spem adducerent, nulli ceterarum, quae in eius essent imperio, gentium, hanc sapientiae, & eloquentiae gloria inferiorem futuram. Nam cum per id tempus inter suos, & Orientalis Imperatoris liberos nuptias coniunctum iri consideret, optaretq; religiosissimus Princeps vti hac affinitate ad vtriusque Imperij Ecclesias certa ac stabili inter se concordia vincendas, neq;, in tanta populorum, qui ei parebant multitudine, viri eruditi deessent ac discreti, quibus id negotium cum dignitate mandari posset, tamen eam habuit opinionem ingenij & industriae nostrorum hominum, vt illos potissimum tantis rebus sustinendis, atq; tractandis idoneos esse iudicaret. Neque verò vnum duntaxat sibi ex eis legatum delegit (quod tamen in gente